

bile est, prædicate. Loquimini: ¿Ubi erat Præsulis honor, corona, gloriaque? In Seminario. ¿Ubi magna decimarum pars? In Seminario. ¿Ubi curæ præcipuæ Pastoralis officii? In Seminario. ¿Ubi sua spes corrigendi populorum mores, coetus ecclesiastici decorem et venerationem augendi, Patriæque felicitatem assequendi? In Seminario. ¿Solummodo vero in Seminario istius civitatis? ¡Oh Bone Deus! ¡Incolæ Lugdunenses, Zamorenses, Acambarenses, Pazt- cuarenses, venite hîc, et in sermone nostro diu versate! ¡Populi a sede longissimè dissiti, terraque calida locati, fortem emittite vocem! Facite verba, quæ de generatione in generationem famam hujus Eminentissimi Præsulis, usque ad ultimum tempus transferant, et vivat in memoria æterna sæculorum qui nunquam debuit mori.

Auditores, licet ingentes progressus in hoc Seminario Tridentino satis noti erant, tamen censuit eruditionis formam non esse congruentem temporibus nostris, quibus juvenes ad summum sapientiæ ascendere necesse est, ut ediscere possint omnes illas scientias quarum studio, religionis præstantia oculis affulget. Eo cogitante, Idiomatis nostri et humanarum litterarum statim cultum instituit; paulo post Athenarum Galliarumque linguæ aditum dedit; demum cum Philosophiæ amplitudine Religionis atque Ecclesiæ tractatum, cum Theologiæ dogmaticæ tyrocinii reformatione ritus sacros studere sapientissimè præcepit. Hæc omnia et alia multa, quæ nec hîc referre, nec in posterum memoria retinere queat, mentibus juvenum veram Religionem, ut pulcherrimum atque perfectius divinitatis opus expandunt: cælestibus eos inserunt consiliis, et innumeris quasi circumfundunt prodigiis, certasque sapientiæ et felicitatis vias illis indice signant. Nunquam juvenibus scientiarum studium commendavit eorum mentes a litterarum commercio, usuque deterrendo. E con-

trariò magistros ad utrasque amico fœdere sociandas hortabatur, modò quædam cautiones adhiberentur. In profanis litteris, ajebat frequenter studiosis adolescentibus, quærenda est honesta quædam animi recreatio, felix infelicis senectutis solamen, fidelis solitudinis teterrimæ amica. Itaque diligite litteraturam illam, quæ limando iudicio simul et nutriendæ pietati inserviat: fugite á vobis et adversas partes fugite, tum futilia scripta, tum flagitiosa opera, tum maximè impios libros, tenebrosi fœtus, quorum malè fecunda est ætas nostra.

Quæret quispiam. Quid? Hic ipse summus Vir, cuius zelus in litteris proditus est, ¿in cæteris negotiis aut rebus suæ Diœcesis non manifestus erit? Difficile est hoc de omnibus confirmare; tamen est certum quid respondeam. Cum Elia asserere poterat ille “Zelo zelatus sum pro domo Dei.” Verumtamen animadvertite moderationis et lenitatis documenta, catholicæ Religionis ministris valdè congruentia, ab illo nunquam defuere. Zelus cum prudentia sociatus difficilima virtus. Duo discipuli a Christo Domino nostro reprehensi, quia ignem e cælo in urbem incredulam dimittere volunt, sunt illius difficilimæ, et velut impossibilis societatis validissimum argumentum. Sed, ¿quis dubitat conjunctionem zeli cum charitate, auctoritatis cum prudentiâ, muneris episcopalis cum Principum pace, dignitatis supremæ Diœcesis cum aliorum Prælatorum amicitia, superioritatis cum humilitate fecisse Joannem, Pastorem e lupo non fugientem, Parentem populorum amabilem, Præsulem Ecclesiæ venerabilem, Dispensatorem integerrimum, Apostolum mitissimum, uno verbo, Episcopum irreprehensibilem, ut Divus Paulus in suis epistolis describit? Conspectu Joannis jurgia evanescent, disputationes tacent, inimica corda se invicem adstringunt, opiniones discordes consentiunt,



conflagrationes extinguuntur, omnia bella recedunt, omnia mala pereunt. Præsentia Joannis disciplina, morumque integritatem restaurat, studiis vitam restituit, doctrinâ, virtus, et merita florescunt, exardescit rudium pietas, populorum in Ecclesiæ ministris fiducia augetur, ministrorum auctoritas magis splendescit, ipsa quoque Religio totis connititur viribus, Principesque sæculares suum præsidium ei spontè, bonæque voluntatis præstant, renascitur denique pax, non ea, quæ sita est in otiosa et indiferenti Religionis incuria, non ea funesta pax, qua potissimum affligitur Ecclesia exclamans verbis Isaiæ: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima;* sed quæ est vinculum cum unitate spiritus juxta præceptum Apostoli: *Estote solliciti, servate unitatem spiritus in vinculo pacis.* Joannes semper meminerat eum esse ministrum illius, qui in scripturis exhibetur ut *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt, et qui non est dissentionis Deus, sed pacis.* Pax inquam, quæ superat omnem sensum, magnificis dulcissimisque verbis suadere, quod vult, nunquam destitit. Pax tecum vultu æquabili, serenoque clamabat in sua privata cappella: "pax vobis" canebat in hac Basilica, quadam cum gravitate conjunctam hilaritatem præseferens: pax, pax vociferabatur in omnibus dissentionibus et bellis. Tuque, alma pax, merces donata hominibus bonæ voluntatis Antistitem nostrum exultantem vel afflictum numquam deseruisti.

Ubi sollicitudo ejus? Vigebat semper in operibus suis, sed leniter, potius dicam mitissimè. Dum Paræcias perlustrabat a seipso sacras ædes, altaria, imagines, vasa et supellectilem explorabat, vitam et mores clericorum, præcipuè qui curam animarum obtinuerant, sedulo et prudenter scrutabatur. Cum illis de populorum salute agebat, de pauperum inopia subvenianda, de senium imbecillitate robo-

anda, de viduarum lacrymis solatio, vel saltem spe fidissima, abstergendis, de orphanorum tegenda nuditate, de omnibus denique adjumentis ad perficiendam fidem catholicam, et confirmandam christianam charitatem, populosque de virtute in virtutem ad felicitatem veram, æternamque maximè, dirigendos.

Quid ego nunc comitatem, affabilitatem, humanitatem, prædicem, quæ tanta erat, ut neminem, aut aspectu, aut colloquio suo arceret, omnium postulata libenter cognosceret, nihil justè petentibus denegaret; et si quid negare cogebatur, ea tamen utebatur lenitate sermonis, ut eos quoque quibus negabat hilares a se pacatosque dimitteret?

Videte, auditores, quare in consiliariis suis prudentiam, et benevolentiam requirebat. Omnes juxta præceptum Domini affirmabat ipse etiam inimicos diligere oportere; sed ad consilium illos tantum eligi convenire, qui prudentes et benevoli esse videantur. Sic agebat, ut Dominus noster J. C. et imprudens discipuli et fratrum infidele consilium refutabat, dicens improbido: "non sapis quæ Dei sunt," et malevolis "vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam." In argumentum illius veritatis adducebat electionem Petri a Magistro factam propter ejus benevolentiam et fidem. "Sed rem difficilem postulas" dignissime Præsul, tunc inquit homo quidam magnus, "vix in multitudine hominum unum reperies in utraque gratia consummatum." *Multi sunt amici, unus autem sit tibi consiliarius de mille.* Miramini vero, auditores quomodo selegit quos constituit adjutores regiminis Diocesis et muneris pastoralis. Nec sprevit senes, nec prætulit; cum autem videbat quosdam juniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, et quod ætati deerat compensari virtutibus, firmiter sequebatur admonitionem Apostoli; "Nemo contemnat ado-



lescentiam." Statim in memoriam revocabat illud sapientiae "Senectus venerabilis est non diuturna neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata." Denique ante oculos suos versabantur exempla divina, in primis, boni pueri Samuelis, qui loquenti Deo promptus aderat auditor dicens: "Loquere Domine quia audit servus tuus," ac si diceret. "Paratus sum, et non sunt turbatus, ut custodiam mandata tua;" secundo, boni Jeremiae, qui quamvis sese excusarat pueritia, nihilominus constitutus fuit super gentes et super regna: postremo, boni Danielis, cujus spiritum suscitavit Deus, ut convinceret iniqua judicia, et sanguinem innoxium liberaret.

Quid de integritate, firmitate, ac perspicacitate dicam? quantum ei prudentiae et acuminis ad videnda ea, quae vera et recta sunt; quantum animi et libertatis ad ea proferenda; quantum auctoritatis ad sustinenda semper fuit!

Nihil unquam ille in dicenda sententia sua aut metui, aut gratiae dedit; numquam ad cujusdam, necdum principis voluntatem, orationem suam accommodavit; nunquam aliquid veritate prius, aut antiquius habuit. Itaque vulgo dicebatur, nihil ab eo precibus peti oportere: preces enim apud eum neque ad justa obtinenda necessariae, neque ad injusta extorquenda efficaces.

De paupertate sua, atque humilitate quid loquar? semper pauper et humilis fuit. Semper avertit a se quidquid luxus et ostentationis erat: in cultu exteriori simplicitatem, in essu non ficto sed naturali gravitatem, in vultu egregiam humanitatem, magnamque affabilitatem praeserebat. Semper habebat enim in mente illud Ecclesiastici "Amictus corporis, et risus dentium, et gressus hominis enuntiant de illo." Licet episcopali solio sedentem ipsum, ut alte-

rum Salomonem vidistis, nunquam desiit ille dies antiquos cogitare, et annos aeternos in mente habere, atque ideo semper ante oculos sibi proponere solebat: "Vanitas vanitatum, et omnia vanitas." Hinc effecta est illa omnium admiratio qua omnes Antistitem sine pompa, sine luxu, sine apparatu, sine cohorte episcopali, magis atque magis venerandum esse, profitebantur. Insculpta in corde suo videbatur doctrina Divi Bernardi de moribus et officio episcoporum, praecipue ea verba "Honorificabitis non cultu vestium, non equorum fastu, . . . sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis." Sciebat etiam sine humilitate nullas esse virtutes, quoniam "humilibus Deus dat gratiam." Haec virtus alias virtutes accipit, acceptas servat, servatas consummat, et consummatas defendit: nam inimicam omnis gratiae, omnisque initium peccati debellat superbiam, et tam a se, quam a caeteris virtutibus teterrimam illius propulsat tyrannidem.

Quid de patientia, quae perficit omnia? Duo sunt quae cum ad extremum vitae ventum est, etiam spectatae virtutis viros de gradu deficere interdum solent: nimirum doloris acerbitas, et mortis metus. Sunt autem qui quandiu a se mortis periculum abesse confidunt, dolorem satis forti animo ferunt; et sunt qui dum gravi et diuturno dolore cruciantur, imminentem mortis necessitatem satis aequo animo expectant. Qui autem utrumque praestet, ut neque doloris acerbitate ac diurnitate frangatur, neque adventantis, atque imminentis mortis metu terreatur, ei pectus incredibili quadam fortitudine armatum esse ac munitum necesse est. Quae laus si cuiquam merito tributa est, huic certe omnium confessione est tribuenda. Qui cum tribus integris annis, et quatuor itidem mensibus tanta vi doloris oppressus fuit, quanta in fortem virum cadere



potest; nunquam tamen ullam vocem parum a se dignam emissit; sed illud in ore frequentissime habebat: "Domine adde dolorem, dum addas et patientiam." Præcamini Deum, aiebat aliquando circumstantibus, me non desperantem esse vi doloris; nullo modo vos rogo me ad sanitatem restitui, sed patientiam maxime augeri; petite ut accipiam. Mortem autem sibi ab ipso morbi principio certam atque exploratam ita non exhorruit, ut de ea sine ulla prorsus aut vultus, aut animi perturbatione loqueretur; planeque ostenderet eam a se, ut D. Paulus in lucro poni. Ac ne cui dubium sit præcivisse eum, ex illo morbo moriturum fore, duas apertas atque illustres hujus rei significationes dedit. Unam quae sita est in meta litterae pastoralis de immaculata conceptione Virginis Mariae, cui lucubrationi ultimam dedit manum die vigesima secunda Februarii hujus anni, id est quadragesimo primo ante ipsius obitum die. Alteram quod cum ob quamdam morbi levationem, depulsum ab eo esse mortis periculum, constans Medici opinio esset; nihilominus sacrosanctam Eucharistiam sibi afferri per modum Viatici jussit instanter, ut pote ad aliam vitam proximè commigraturum certe præsentens. ;Utinam auditores præsagium eventus fefellisset! Sed in consiliis Dei statutum erat Ecclesiam Mechoacanensem pridie idus Aprilis anni currentis orbandam esse viro suo, viro illo egregio sacra ei desponsatione divinitus copulato, qui cladem diurnæ retro viduitatis et mœstitiam dulci præsentia sua abstulit, qui quatuor circiter lustris eximia pietate et charitate confovens dilectam suam quamplures pro patribus filios lætitia spiritali in C. J. D. N. generavit. ;O infandam desolationem! ;O excidium maxime dolendum! ;O rem miserandam lacrymisque perennibus prosequendam! Merito cor morsibus æstuat doloris acribus,

merito Ecclesia diro transfixa dolore, facie lacrymis suffusa, singultibus exprimit voce interrupta mœstissimam viduitatem, et ex viri sui morte in magnum luctum incidit, jacet in maximo mœrore, videns quod non sit qui consoletur eam. Jure optimo etiam nunc gementes sedent Domini sacerdotes et virgines sacræ, Proceres civitatis, Municipium, omnesque civium Ordines, populusque universus; quoniam vere Joannes omnium Pater tenerimus fuit, humilis, amabilis, mansuetus et pius. Illius mortem secuta est tanta cunctorum afflictio, tantaque consternatio, ut omnium desiderium vix longo tempore et sæcundis rebus mitigari posse videatur. Nos quidem in miserabilibus Reipublicæ et Ecclesiæ temporibus, optimo et præstantissimo principe orbatī sumus: ille autem, ut confidimus, e tenebris ac vinculis corporis in lucem libertatemque transegit, et promissam piis omnibus possidet hæreditatem; ita ut mors ipsius, si sortem nostram respicimus, luctu et lamentationibus: sin vero illius, gaudio et gratulationibus persequenda sit.

Audivistis vitam, vidistis mortem clarissimi Joannis Cajetani; illam integram apud homines, istam pretiosam, ut pie credimus, in conspectu Domini. ;Ubi documenta sunt? ;ubi testimonia publica? ;ubi æterna monumenta? Interrogate, quæso, viciniam loci quo in lucem editus, et respondebit, puerum Joannem natura factum esse ad honestatem, naturamque ipsam ad virtutem illum peperisse. Iterum interrogate. Quid dicunt? Joannem adolescentia sua non in ludis, sed in angelorum ministerio occupatum, assiduum esse in sacerdotibus assistendis, dum ad sacras Aras tremendum sacrificium celebrarent. Dirigite vocem vestram ad habitatores civitatis Guadalaxariensis: audite responsum, juvenem Joannem nunquam sæculi vitiis indulnisse, inoffen-